Copia Responsoriarum S.R.M. Poloniæ Ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum.

Augustus II. Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; nec non Hæreditarius Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ & Westphaliæ Dux. S. R. I. Archimareschallus & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, nec non Superioris ac Inferioris Lusaciæ, Burgravius Magdeburgensis, Comes Princeps Hennebergensis, Comes Marcæ, Ravensbergæ & Bartij, Dominus in Ravenstein. Serenissimo Principi Domino Friderico Tertio Marchioni Brandeburgensi S. R. I. Archicamerario & Electori in Prussia Magdeburgi Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumq; nec non in Sylesia Crosnæ, Duci, Burggravio Norimbergensi, Principi Halberstadij, Mindæ & Camini, Comiti de Hohen, Zolleren Domino in Lavenburg & Bittaw, Fratri & Cognato Nostro Charissimo, salutem & continuum felicitatis incrementum.

Serenissime Frater, & Cognate Charissime.

Literæ Serenitatis Vestræ die 17. elapsi, multò magis nunquam sperata Civitatis nostræ Regiæ Elbingensis aggressio, merebantur, antequam responderemus, Senatus-Consultum. quo illicò huc convocato, atque intra hosce dies expedito, quid aliud

aliud respondere possumus, quàm quòd Vniversi stupeant, Serenitatem Vestram rem attentasse, etiam Posteritati non credendam. Fateri & ipsam quadraginta & ultra annorum exsuscitasse emortuam, imò tot tantisque Reipublicæ prætensionibus sepultam Hypothecam, tàm crudis, prius ex insidijs, mox apertis armis, ut quasi nunquam æternum, pro remisso Vasallagio concessum, cum Republica habuisset Fædus; hostium loco suorum hostes Reipublicæ reputatura, ipsa infestas Copias innocuæ Vrbi admovit, eandemq; vi in suam deditionem coëgit. Ius hoc, quod Serenitas Vestra scripto suo typis vulgato solenne vult facere, utiq; melius notum fuisse gloriosæ Memoriæ Magno Parenti Suo, tanquam primo Quæsitori, & tamen nunquam ausum quidquam simile præsenti Casui, imò maluisse illum Brunsbergam & Fravenburgum loco non traditæ Elbingæ, ut prætenderat ex Pactis Velaviensibus, possessas evacuare ac restituere in manus Reipublicæ, quàm primo illi actui (qui procul dubio magnis suberat Protestantium in Republica difficultatibus) tradendæ sibi Supremitatis in Prussiam derogare. Fuisse posthac toties ab eodem & Serenitate Vestra super memoratis Pactis repetita Iuramenta, & quidem ægrè ex parte Reipublicæ, nolente Michaële, recusante ultimariè per aliquot dies Ioanne Tertio Serenissimis Divæ Memoriæ Prædecessoribus Nostris, ob validas atq; gravissimas Reipublicæ prætensiones; & cur non eo potius tempore suspensis Iuramentis opponenda erat ista prætensio? cur non saltem aliqua ante immediatum nuper nobiscum super ijsdem juramentum, injecta mentio? præsertim cùm Ministri à nobis designati distinctè satis ad prætensiones quasdam, in scripto desiderarunt responsum, nec obtinuerunt à Ministris Serenitatis Vestræ. Nunc quis crederet, dum Respublica cum hoste Christianorum communi, cruento implicita ac distenta bello, turbari illam ac vexari à tali Principe, qui bona malaq; ejus pro suis proprijs habere æterno Fædere ac Iure jurando obligatus erat? Deniq; si omnes circumstantiæ acerbissimæ,

rei

rei gestæ anteriores revocandæ forent, factum hoc nemini placitum iri, nisi hostibus, cum quibus bellum atrox & tàm longum gerimus; hanc enim turbatam ac violatam Reipublicæ à Fæderato Principe securitatem, illis solis gaudio futuram, qui Nos undiq; & Patriam angustiatam cuperent. Hæc non alio fine Serenitati Vestræ omni fiducia insinuanda censuimus, quàm ut intelligere velit, ipsam excessisse metas debiti sui erga Rempublicam hanc, cujus summa semper in Domum ejus Vniverso teste Orbe exstitère beneficia; impegisse contra perpetui Fæderis Pacta, Iureq; suo ex ijs cecidisse; talemq; ausum non modò ad intima usq; Patriæ hujus penetrasse, sed Nostrum quoq; honorem ad prima Regni auspicia sine omni præmissa amicabili requisitione extremè pupugisse, adeoque cunctos desiderare, ut casum istum summopere Reipublicæ ac præprimis Nobis gravem Serenitas Vestra quantociùs redintegrandum, immediatumq; statum Civitati restituendum curet & annitatur; vel si id minimè libuerit, saltem nullius offensæ ac hostilitatis loco sit acceptura, si justa tantæ læsioni reparatio quæri ac ministrari omnino non intermittatur. De reliquo Serenitati Vestræ bonam valetudinem intra prosperos Fæderum, amicitiarumq; successus precamur. Dabantur in Regia Varsaviæ die XVII. Mensis Novembris Anno Domini M. DC. XCVIII. Regni verò Nostri II.